

duas voluntates in Christo alteram divinam, alteram humanam, sed negavit duas voluntates in ipsa humanitate sibi contrarias, et repugnantem, quales nos habemus propter fomitem peccati; et hoc constat ex illa disputatione celebri inter Pyrrhum, et Maximum monachum, quæ recitatur tomo secundo Conciliorum, post vitam Theodori papæ, in qua cum objiceret Pyrrhus quid de Honorio sentiret, respondit Maximus constare ex epistola quadam scripta a successore Honorii Joanne IV ad imperatorem negasse Honorium duas voluntates contrarias in Christo carnis et spiritus, non duas, alteram humanam, alteram divinam; et quia hoc non ita expresserat Honorius existimatus est ab hæreticis secum sentire, eique talem calumniam imposuerunt. Et sic damnatio illa Honorii supposititia videtur, non a Concilio facta: vel si facta fuit solum sub conditione, aut suppositione, si forte Honorius id senserit, eum damnaverunt; sicut in Concilio Francofordiensi cum Elipandus episcopus Toletanus pro suo errore, quod Christus esset Filius Dei adoptivus adduceret S. Ildefonsum, et Julianum, etc. Concilium vero discutiendo an vere, vel false eos allegasset ex suppositione etiam illos damnavit, tamquam a quibus esset acceptus ille error; cum tamen S. Ildefonsum oppositum tenuisse constet ex libro de virginitate S. Mariæ, libro VII et XI. Eodem ergo modo Honorius damnatus est, si forte damnatus fuit.

XXVII. Ad ultimum quod dicitur de Liberio respondetur in primis S. Hieronymum non dicere quod Aecius deposuit Liberium, sed quod in tantum claruit quod in locum Liberii Felicem Arianum episcopum constitueret. Et certum est Liberium non esse justè depositum, sed

injustissime in exilium deportatum, ut testatur Hilarius in libro adversus Constantium; Athanasius epistola ad solitariam vitam agentes, et alii auctores historiæ illius temporis. Dum autem exularet, Felix diaconus ejus in episcopum ab hæreticis subrogatur, ut testatur Ruffinus libro primo, capite XXII, qui habetur post historiam Eusebii, et ideo ille Felix dictus est hæreticus, et Arianus, quia hæreticis communicabat, et tunc erat antipapa. Postmodum vero legitimus papa effectus hæresim damnavit. Liberius tamen nunquam depositus est secundum jus quamdiu hæreticis noluit consentire, postea autem cum consensit in damnationem Athanasii, et cum hæreticis communicavit a clero Romano abrogata ejus dignitate Felix electus est, et ipse tunc hæresim damnavit Arianam.

XXVIII. Restabat tractare de secunda parte conclusionis supra in principio articuli propositæ, scilicet quod Romanus pontifex non possit errare, nec aliquis unquam erraverit in definiendis rebus fidei. Et similiter quod hæc potestas pontificia semper sit duratura in Ecclesia. Sed quod attinet ad indeficientiam in fide, et quod nunquam aliquis pontificum erraverit in illa definienda, commodius agetur infra tractando de potestate pontificis in confirmandis Conciliis. Interim sufficit indicare quod sancti patres, et Ecclesiæ traditio communiter id colligunt ex illis verbis Lucæ XXII: *Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua*: sic intellexit hunc locum Lucius papa I in epistola ad episcopos Galliæ, et Hispaniæ tomo primo Conciliorum, et Agatho papa in epistola scripta ad imperatorem, et approbata in sexta Synodo generali ut habetur tomo secundo Conciliorum; Felix I in epistola ad Benignum; Nicolaus I epistola ad Mi-

DISPUTATIO II.

DE HIS QUÆ POTEST ECCLESIA IN PERSONAM PAPÆ, UT DE ELECTIONE DEPOSITIONE ET CERTITUDINE PERSONÆ ELECTÆ.

ARTICULUS I.

Utrum potestas eligendi pontificem, et modus eligendi commissus sit Ecclesiæ a Christo Domino?

I. In hac quæstione tres præcipuæ difficultates involvuntur: prima est, de ipsa potestate eligendi, et designandi pontificem, an ista sit commissæ ipsi Ecclesiæ, et quænam potestas sit: secunda est, in quibus resideat hæc potestas secundum se, sive de jure ecclesiastico, sive de jure divino: tertia est, an modus eligendi, et determinatio personarum eligentium mutari possit a potestate humana.

II. In hoc dubio communiter theologo distinguunt de potestate designativa personæ per electionem in papam, et de potestate collativa dignitatis pontificiæ. Et hoc secundum dicunt pertinere ad Christum Dominum, quia cum potestas pontificalis sit suprema totius Ecclesiæ, imo et superior ad totam Ecclesiam non potest conferri ab aliqua alia potestate Ecclesiæ. Primum vero pertinet ad ipsam Ecclesiam, si quidem alias non potest commode provideri successor pontificatus; nam si in Ecclesia non esset potestas ipsum designandi, deberet designari a Christo Domino, quod tamen nec in Ecclesia fit, neque fieri humano modo posset, nisi continuum ali-

chaelem; Leo IV epistola ad Petrum Antiochenum; Innocentius III capite Majores de baptismo, et ejus effectus; Bernardus epistola CXC; S. Hieronymus adversus Ruffinum; Cyprianus epistola ad Cornelium papam; et alii multi de quibus infra latius agetur. De duratione vero pontificiæ dignitatis, quam hæretici jam abolitam esse dicunt non est quod multum curemus, cum ipsi solidum fundamentum afferre non possint de tempore quo desierit, aut qua auctoritate mutata sit, et in quale regimen sit translata, cum constet Ecclesiam unam esse, et eandem esse nunc, quæ fuit ab initio: non posset autem esse eadem si non maneret eadem forma regiminis, nec poterat potestas illa, quæ a Christo instituta est in initio Ecclesiæ mutari, nisi ab ipsomet Christo: non est autem unde constet Christum Dominum illam mutasse, quin potius promissiones ejus sine ulla conditione, aut restrictione sunt perpetuæ, nam Matthæi ultimo dicitur: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*: et Matth. XVI: *Super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*. Si autem mutaretur potestas illa Petri prævalerent adversus illam portæ inferi, illi scilicet qui eam mutarent. Denique I ad Timoth. III dicitur: *Quod Ecclesia est columna, et firmamentum veritatis*. Dicuntur etiam manere fideles Christi Domini usque ad tempus judicii Lucæ XXI: *Propter electos breviantur dies illi*. Et in ultimis temporibus multa scribuntur passim in epistolis Pauli, et Petri, et in Apocalypsi, quibus significatur fidem Christi Domini, tunc adhuc duraturam; si autem fides durabit, etiam et Ecclesia, et consequenter forma regiminis ejus. De hoc autem plura attingemus in sequentibus.

quod miraculum poneretur. Neque obstat quod apostolatus Matthiæ per electionem factus est, et tamen visibili aliquo signo a Deo est declarata illa electio, hoc enim significant illa verba Actor. I: *Et cecidit sors supra Matthiam*, quod declarans Dionysius capite quinto ecclesiasticæ hierarchiæ, pag. III: « Videntur, inquit, eloquia sortem nominasse divinum quoddam donum declarans illi hierarchico choro a divina electione ostensum. » Nam apostolatus (ut sæpe diximus disputatione præcedenti prout tunc fuit in illis primis fundatoribus Ecclesiæ includebat speciale munus legationis Christi, et ideo non poterat dari nisi ab ipso Christo, vel per se immediate, vel per aliquod visibile signum: unde etiam apparuit Christus Dominus in propria persona ipsi Saulo, ut eum converteret, et ad apostolatatum destinaret, tamquam testem resurrectionis suæ, ut S. Thomas dicit III p. quæstione LVII, art. VI ad tertium. Et quando Barnabas, et Saulus apostolatatum acceperunt, facta fuit revelatio specialis, ut dicitur Actor. XIII: *Dixit illis Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum, et Barnabam ad opus, ad quod assumpsit eos*. Propter hoc ergo speciali revelatione designati sunt quicumque ad apostolatatum assumebantur, quia hoc munus specialem delegationem, et commissionem Christi postulabat. At vero dignitas pontificalis etsi succedat apostolatui in ratione supremi regiminis Ecclesiæ, non tamen in speciali illa delegatione, sed solum in potestate ordinaria, unde successores per electionem, non per revelationem Christi conveniebat designari, et ita fieri necesse est, cum tales revelationes modo non habeamus, et tamen Ecclesiam nos habere, et ejus potestatem gubernativam fides docet. Vide plura de hac re apud Bellarminum

libro de clericis, capite quinto, ubi ostendit contra errores Wiclephi, et Joannis Hus electionem pastorum Ecclesiæ non debere fieri a solo Deo. Igitur de hac potestate designativa pontificis, supposito quod debet esse in Ecclesia, tota controversia est an sit collata immediate ipsi Ecclesiæ a Christo, vel solum mediante potestate papæ.

III. Dico primo: Probabilius videtur hanc potestatem traditam esse a Christo Domino Ecclesiæ quasi proxime, et formaliter, et ordinario modo; regulative autem, seu architectonice, et principaliter ipsi papæ. Pro intelligentia hujus conclusionis advertite multos sentire ipsum papam habere in se potestatem eligendi successorem, atque adeo fatentur electionem ab ipso factam de successore esse validam, quidquid sit an modo in Ecclesia electio ista aliis personis ab ipso papa committatur. Et hæc opinio quoad primam partem, quod hæc potestas sit in papa, a quibusdam attributa fuit Cajetano, de quo tamen ipse se explicavit in tractatu secundo apologiæ pro auctoritate papæ, capite XXII; tribuitur etiam Victoriæ relectione secunda de potestate papæ, quem etiam sequuntur multi alii, qui tenent papam solo jure canonico prohiberi deligere sibi successorem, posse vero absolute id facere, quam refert Azorius tomo II, lib. IV, cap. V. Quæ sententia fundamentum habet, tum in facto Petri, qui designavit S. Clementem in successorem suum, ut constat ex epistola ipsius Clementis ad Jacobum, et ex epistola II Alexandri I, et ex epistola Joannis III in capite Si Petrus, et capite Unde VIII quæst. I; tum ex capite Si transitus, LXXIX distinctione, ubi supponitur posse papam de successore discernere in illis verbis: « Si transitus papæ inopinatus evenerit, ita ut de sui electione successoris ante de-

cernere non possit; » tum denique ex eo quod pontifex habet potestatem determinandi, et statuendi modum observandum in electione pontificis, et personas quæ eligant; ergo etiam in ipso est potestas determinandi, et designandi successorem, si quidem unus ex modis quibus designari potest persona pontificis est, ut ab antecessore designetur.

IV. Secunda vero sententia tenet hanc potestatem immediate a Christo esse traditam Ecclesiæ, atque commissam, licet modus ejus dirigi, et determinari possit a papa. Quam sententiam probabilem reputat Suarez in tomo de fide, disp. X, sect. IV, num. XIII, et quasi corollarie tribuit eam Cajetano, Turcrematae libro secundo de Ecclesia, capite LI, Paludano, et aliis, estque conformis sententiæ illorum, qui dicunt papam de jure divino esse prohibitum eligere sibi successorem, quæ communior est apud canonistas, quos refert Azorius ubi supra. Et fundamentum hujus sententiæ sumitur ex capite Finali, LXXIX distinctione, ubi Anacletus papa dicit: « Electionem summorum pontificum, vel sacerdotum sibi Dominus reservavit, licet electionem eorum bonis sacerdotibus, et spiritualibus populis concessisset. » Id etiam constat ex traditione Ecclesiæ a temporibus Apostolorum, nam Ecclesia semper usa est electione pro designando papa, nunquam vero ab antecessore designatus est: quod certe est validissimum testimonium Ecclesiam agnovisse hanc potestatem sibi esse traditam. Quod roboratur amplius, quia etsi dicamus Petrum designasse Clementem tamquam successorem suum, adhuc tamen ecclesia post Petrum elegit Linum, et postea Cletum, antequam Clemens pontificatum invisit, quia Clemens ipse cessit, et renuntiavit designationi

Petri, ut sentit Epiphanius hæresi XXVII, et sic electus est Linus in pontificem: ergo adhuc ab ipsis temporibus Apostolorum Ecclesia usa est jure eligendi ommissa designatione ab antecessore facta, quia sentiebat sibi hanc potestatem esse collatam a Christo.

V. Inter has autem duas sententias extremas sunt quasi aliæ sententiæ declarantes, aut conciliantes seu modificantes istas, quibus in nostra conclusione assentimur. Sentiant ergo alii Ecclesiam non expresso aliquo jure divino, sed ex suppositione juris divini quasi ex jure naturali, seu potius connaturali habere jus eligendi pontificem et ex consequenti papam, non solum canonico jure, sed jure quasi naturali, seu connaturali non posse designare successorem, sed id pertinere ad Ecclesiam secluso papa, ita Azorii ubi supra quæstione III, fundamentum est, quia hoc ipso quod Christus voluit Romanum pontificem succedere Petro, habuit Ecclesia Romana jus liberum eligendi sibi papam, in hoc ipso quod habuit jus eligendi sibi episcopum Romanum, sicut quælibet Ecclesia quando est viduata pastore habet jus eligendi illum. At vero Suarez ubi supra existimat hanc potestatem esse quidem in Ecclesia per se, et quasi ordinarie loquendo secluso papa, in casu tamen aliquo, et quasi extraordinarie esse etiam in pontifice. Itaque papa directe, et per se solum habet jus dirigendi, et præscribendi modum observandum in electione pontificis, sed tamen modum qui justus sit, et in ædificationem Ecclesiæ. Quare si tentaret introducere in Ecclesia tamquam ordinarium modum eligendi, quod designaretur ab antecessore non valeret, neque esset observandum, quia vergeret in perniciam Ecclesiæ. Si tamen in aliquo raro, et extraordinario casu

attenta aliqua urgente necessitate Ecclesiæ id faceret pontifex juste faceret, et legitima potestate uteretur, et ad hoc convincitur Suarez rationibus Victoriæ ubi supra. Nec mirum quod hanc potestatem ita Christus Dominus concesserit, cum etiam potestatem confirmandi de jure ordinario tribuit Christus episcopis, seu sacerdotibus summis, extraordinario tamen jure, et ex dispensatione papæ etiam simplici sacerdoti commisit, ut ex S. Gregorio papa docet S. Thomas III p. quæstione LXXII, art. XI ad primum. Quæ sit autem necessitas urgens Ecclesiæ, quæ actionem istam possit justificare auctores non explicant, videtur tamen quod si rationabiliter timeretur magnum aliquod schisma, aut oppressio Ecclesiæ, aut si lectores omnes, vel fere omnes ab aliquo tyranno injuste detinerentur, ita quod non esset locus creandi alios posset pontifex uti illa potestate: et similes casus necessitatis occurrere possunt, in quibus id licitum, et justum redderetur.

VI. Denique cardinalis Cajetanus in tractatu secunda apologiæ pro auctoritate papæ, censet potestatem electivam papæ nullo modo esse in papa quasi formaliter, ita ut papa possit esse elector, et designator successoris, sed solum esse in illo quasi eminenter, et regulative, quia papa potest determinare modum servandum in electione papæ ab Ecclesia, et regulam præbere secundum quam electio fieri debeat, unde potest regulare, et dirigere illam electionem, non tamen eligere. Sicut ad artem superiorem, et architectonicam pertinet inferiorem dirigere, non tamen opera inferioris exequi: sicut equestris dirigit frænefactivam, non tamen facit frænum; et in naturalibus ratio dirigit appetitum, non tamen appetit, et cælum eminenter calefacit, non formaliter.

Sic papa habet potestatem imperandi, et dirigendi electionem pontificis, non tamen eligendi formaliter, et habet se potestas papæ ad potestatem electivam papæ quæ est in Ecclesia, sicut ars superior ad inferiorem. Et quod hæc potestas eligendi sit in Ecclesia quasi formaliter, et proxime in eo fundatur a Cajetano, quia actus eligendi papam per se loquendo non est actus non supponens papam, quia est factivus papæ quantum est ex se unde non debet convenire papæ per se loquendo, sed Ecclesiæ, quæ manet in mortuo non existente papa. Unde hoc ipsum quasi in re gentium videtur introductum, ut in omni re publica quæ per electionem creat suos principes, potestas electiva non sit in principe, sed in his qui manent non existente principe, alioquin si princeps designare debet successorem jam id non pertinebit ad electionem, sed quasi ad propagationem, sicut in his qui jure generationis succedunt in principatu. Et ideo in veteri lege, in qua non fiebat pontifex per electionem jure generationis succedebatur, nunc autem quia pontifices non carnali generatione succedunt, nec ad illos pertinere debet electio, et designatio successoris, sed ad potestatem, quæ manet sede vacante, ipsi enim facere debent pontificem, unde hoc ipso quod Christus Dominus successionem pontificum non jure successionem instituit, potestatem electivam censetur dedisse Ecclesiæ, quæ manet sede vacante.

VII. Quod vero pontifex habeat potestatem determinativam, quasi regulative, et architectonice super modum electionis habendum, constat manifeste ex multis canonibus et textibus, ubi id determinatur a variis pontificibus, et videri potest textus in capite In nomine, distinctione XXIII, et capite primo, dist.

LXXVII, et capite Licet de electione, et capite Ubi eodem titulo in sexto, et Clementina Ne Romani de electione, et multa affert Gratianus distinctione LXIII, et distinctione XXXIV. Et Julius II, ut refert ibidem Cajetanus etiam sine Concilio generali statutum edidit de electione papæ, et alii multi pontifices sine interventu Concilii generalis, licet verum sit quod modus iste, qui modo in Ecclesia servatur a Conciliis generalibus firmatus, et acceptatus sit, ut Lateranensibus sub Nicolao I, et Alexandrino III Viennensi, et Lugdunensi sub Gregorio X. Quare hæc Cajetani sententia mihi simpliciter probabilior videtur ut ex ejus rationibus constat. Et quidem libenter etiam aliquid concederem sententiæ Victoriæ, et Suarez, sed non video posse dari casum, quo ipse papa utatur potestate eligendi, et non sufficiat præscribere modum electoribus, aut alios electores instituyendo, si illi qui tunc sunt injuste impediuntur, aut episcopis, aut Concilio id committendo, vel etiam divinæ providentiæ, quæ Ecclesiam suam nunquam relinquit. Et præsertim moveor ad hoc, quia etiam gravissimis persecutionibus imminentiibus, et cum maximæ oppressiones aut schismata in Ecclesia timeri possunt sicut contigit tempore Liberii, et Damasi et aliis multis, nunquam tamen pontifices usi sunt hoc remedio, ut ipsi eligerent sibi successores, sed id Ecclesiæ permisissent, præsertim quia multo magis timeri potest schisma si pontifex designet sibi successorem, ne talis acceptetur postea ab Ecclesia, nec velit illi electioni stare; ergo non videtur unquam assignari posse causam ita urgentem, quæ justificare possit ut illa actio ab electoribus extrahatur et devolvatur ad solum pontificem, nec possit provideri necessitati occurrenti mutando for-

mam electionis, aut alios electores nominando quod pontifex facere potest.

VIII. Unde ad ea quæ afferebantur pro sententiâ Victoriæ respondetur, quod quidquid sit de facto Petri, an ipse designaverit Clementem, ut in summo pontificato succederet, vel non, tamen de facto successit prius Linus, deinde Cletus quos pontificatum gessisse concors auctorum sententia, ut patet in Irenæo lib. III, c. III; Optato Milevitano lib. II contra Parmenam; Hieronymo libro de scriptoribus ecclesiasticis in Clementi, et ex Romano martyrologio, et ex canone missæ colligi manifestum est, quare si quando aliqui antiqui auctores, et pontifices dicunt Petrum tradidisse pontificatum Clementi intelligi videntur, quod ipse Clementem ordinaverit, sicut Tertullianus tradit libro de præscriptionibus contra hæreticos, cap. XXXII, licet Clementem quarto loco pontificem ponat, vel etiam ipsum commendavit, et dignum ostendit Ecclesiæ, ut ei succederet, licet ipso etiam Clemente recusante prius Ecclesiæ elegerit Linum. Videatur Baronius anno Christi 69, cap. XL, et Cajetanus citato loco, qui existimat illud factum Petri narrari a Joanne papa, non tamen auctorizari ab ipso in illis textibus, qui citantur. Et Turcremata simpliciter negat id factum a Petro; Suarez tamen censet Clementem immediate successisse Petro, Linum autem, et Cletum solum quasi adiutores ejus fuisse. Quod si ita est plusquam triginta annos sedit Clemens, scilicet ab anno Christi sexagesimo nono quo occisus est Petrus usque ad centesimum primum quo Clemens moritur, quod tamen nulli pontifici tribuitur. Ad illum texum ex capite Si transitus respondetur in illis verbis non significari quod papa desig-